



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

VII. Missa pro tribulatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

corporum & phantasmata vanarum cogitationum mearum. Crea prolem intelligentiarum mearum in utero mentis meæ. Effunde spiritum tuum super aquas informitatis meæ, ut conversus ad te, conformis filij tui, videam te per te, & omnia sub te. O tu, purissima veritas, tu vide te in me, tu intellige te in me. Per me ipsum nihil video nisi vana & fluxa & caduca, nihil video nisi falsa & corporea plasmata. Per me nihil sum nisi mors & abyssus tenebrosa & imperfecta. In te sum quantum sum, in te vivo quantum vivo, in te intelligo quantum intelligo. Quia tu es summa intelligentia, essentia summa, vita summa, Pater & Filius & Spiritus sanctus, unitas triplex, trinitas simplex, infinita in se sine fine, Deus unus, in secula seculorum. Amen.

VII.

Missa pro tribulatione.

Ex veteri codice MS. bibliothecæ Colbertinæ.

HORA competente fiant Letaniæ, cantu rei concordante. Deinde Missa: *Reminiscere miseratium.* Psalmus: *Ad te, Domine, levavi animam meam. Deus meus, in te confido.*

ORATIO.

Deus, qui contritorum non despicias gemitum, & mœrentium non spernis affectum, adesto nostris precibus, quas pro tribulatione effundimus, easque clementer suscipiens, tribue ut quidquid contra nos diabolicę atque humanę moliuntur adversitates, ad nihilum redigantur, ut nullis insectationibus læsi, sed erepti de omni tribulatione & angustia, læti in Ecclesia tua sancta gratias jugiter referamus. Per Dominum.

Graduale: *Adjutor.* Versus: *Quoniam non.*

LECTIO DANIELIS PROPHETÆ.

In diebus illis oravit Daniel dicens : Domine Deus, ne despicias populum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum & Isaac servum tuum & Israël sanctum tuum, quibus locutus es pollicens quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cœli & sicut arenam quæ est in littore maris. Quia, Domine, imminuti sumus plus quàm omnes gentes, sumusque humiles in universa terra hodie propter peccata nostra; & non est in tempore hoc Princeps & Propheta & Dux, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus -----
Cetera desunt.

VIII.

Litteræ Jonæ Episcopi Augustodunensis de
dote & consecratione Ecclesiæ Montis
Buznini.

Ex veteri Chartulario Ecclesiæ Augustodunensis.

IN nomine Domini & salvatoris nostri Jesu Christi. Jonas præveniente divina misericordia Augustodunensis Episcopus. Notum sit omnibus fidelibus sanctæ Ecclesiæ tam præsentibus quàm futuris quia venerabilis vir Reimbodo cum filio suo, cujus vocabulum est Lifericus, tactus divina clementia, cum consultu prædecessoris nostri Althei Episcopi Capellam in pago Augustudunense, in vicaria Istotrense, in loco qui dicitur Montem Buzninum, ex propriis rebus ædificantes, atque ad perfectum usque perducentes, deprecari sunt nostram benivolentiam qualiter eandem Capellam, eorum opere constructam, ecclesiastico ordine ad persolvendum jugiter divinum officium sollempniter consecraremus. Nos ergo benivolam eorum